



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Satyrus C. 17. Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

17. Sept.

VITÆ SANCTORVM.

453

gratum se fore existimans, si regiae famæ & salutis  
confuleret, liberrimis verbis ob pellicem Alpaida  
castigavit, hanc neque poculo neque alloquio, li-  
cèt multum ambiret, dignatus. Ostendit etiam  
hæc, quid mulier irata & pellix posset; & germa-  
no adnidente Dodone, LAMBERTVM cum sociis  
obtruncavit. Sed & cælum iratum ostendit, quid  
contra impios posset. Et Dodoni quidem putre-  
scenti humum etiam negatam scribunt: eum verò,  
qui Divo lethale vulnus infixit, duello & fratrem  
peremisse, & peremptum ab eodem fuisse; omnes  
denique scelerum socios aut mortuos illicò esse,  
aut diu, hoc est miserè, vixisse. Illud omnino me-  
morabile, odium, quo infandos amores perseque-  
batur LAMBERTVS, ab animo etiam in corpus de-  
mortui transisse, & cum passim exanimi oscula  
ferret vulgus, arcanâ vi solas ab his pellices exclu-  
sas esse. Atque hujus odii tam sancti hæredem te  
hodie LAMBERTVS vult, Mariane. *Ex Surio  
& Grass.*

*Quid suavius homini, quid jucundius, quàm mun-  
dum contemnere, & se reputare secundo celsiorem, atque  
in bonæ conscientia vertice consistentem mundum habere  
sub pedibus, & nihil in eo videre quod appetat, cui invi-  
deat, quem metuat? S. Bern. op. de Char. c. 18.*

S. SATYRUS C. 17. Septembris.

**A**Mbrofium in SATYRO vides. Nam frater hic  
illius fuit, non virtute modò sed vultu quo-  
que & habitu corporis tam germanus, ut familia-  
rium etiam oculos falleret. Et nesciissent hi sæ-  
pius, quemnam ex duobus alloquerentur, nisi  
amor & vitæ morumque similitudo, adeoque ani-  
morum consensus unum jam pridem ex geminis  
fecif-

fecissent. Erat porrò in SATYRO ea animi simplicitas, ut columbam; ea prudentia, ut serpentem; virtutum fragrantia tanta & copia, ut hortum iure dixisses. His ille præsiidiis instructus rem fratris domesticam ita administrabat, ut pietas familiam duceret. Eripi sibi oculos credebat Ambrosius, cum ex oculis SATYRVS abiret. Abibat tamen, cum negotia id exigebant. Et ecce navim conscendit SATYRVS, sed non sine armamentis. E collo Angelorum panem suspendit. Mox venti insurgunt & fluctus navim expugnant. At SATYRO naufrago non commeatus, non vela, remi, mæsus, non anchora deest, omnia hæc adsunt in SS. Eucharistiâ. Illo succollante, quem collo ipse ferebat, emergit; & Anathema templo ipsum Servatorem suum gratus donat. Credidit in portu se esse; & fuit, non tunc quidem, sed paulò post, cum beatâ morte defunctus est. Verum tunc naufragum Ambrosium lacrimis vidisses. *Ex ipso D. Ambrosio.*

*Beatus qui sanctæ Communioni atque orationi tanquam celestis Angelus incumbit, & mundis quotidie cogitationibus vacat, neque aditum præbet improbo demoni, ut animum suum expugnet & abducat à Deo Servatore, S. Ephrem. in Beatitud.*

S. HILDEGARDIS V. 17. Septembris.

**N**escio quid de HILDEGARDE sentiendum, mundumne deseruerit, an potius nunquam fuerit in mundo; quippe II. annorum virguncula inter virgines sacras adlecta. Cælestia ab ipsis cunis videre habuit, nutuque hæc prodidit, quando sermone non potuit. Literas, quas nunquam didicit, scripsit tamen, easque non suâ linguâ: atque ut cantaturam scires olim, quod canere alii

despe-